FRIDERICI MÜNTERI,

EPISCOPI SELANDIÆ,

NOTITIA CODICIS GRÆCI

EVANGELIUM JOHANNIS VARIATUM

CONTINENTIS.


HAUNIÆ.

Sumtibus I. H. Schubothe.

Typis expressit Director *Janus Hostrup Schultz,*

Aulæ Regiæ et Universitatis Typographus.

MDCCCXXVIII.


UNIVERSITY
OF CHICAGO
LIBRARY

I.

Inter omnes sacræ exegeseos peritos constat, prioribus ecclesiæ seculis, præter canonica nostra quatuor Evangelia, extitisse duo alia, alterum quidem, secundum Hebræos vulgo dictum, quod Matthæi nostri textum exhibuisse videtur, ut Epiphanius asserit, πληρέςατον, h. e. integrum, haud ita exiguis tamen additamentis auctum; cujus pauca tantummodo supersunt fragmenta*): alterum vero, Marcionis Antinomi, celeberrimæ Gnosticæ sectæ auctoris nomine insignitum, de quo nostra ætate multum varieque est disputatum, nonnullis viris doctis antiquissimum in eo Evangelii Lucæ textum exhiberi statuentibus; quum tamen potius, id quod ex accuratiori ejus examine a S. V. Hahnio, Theologo Lipsiensi, instituto patet, sit exemplar Lucæ ad mentem Marcionis et decreta sectæ ejus semel atque iterum truncatum immutatumque.**) Ita quidem duorum Evangeliorum variatæ editiones inter veteres Christianos circumferebantur. Ad

*) Hæres. XXIX, §. 9. cf. de Wette Einleitung in das N. Test. §. 64, 65.

**) Das Evangelium Marcions in seiner ursprünglichen Gestalt. Königsberg 1823.

I.

Inter omnes sacræ exegeseos peritos constat, prioribus ecclesiæ seculis, præter canonica nostra quatuor Evangelia, extitisse duo alia, alterum quidem, secundum Hebræos vulgo dictum, quod Matthæi nostri textum exhibuisse videtur, ut Epiphanius asserit, *πληρέστατον*, h. e. integrum, haud ita exiguis tamen additamentis auctum; cujus pauca tantummodo supersunt fragmenta*): alterum vero, Marcionis Antinomi, celeberrimæ Gnosticæ sectæ auctoris nomine insignitum, de quo nostra ætate multum varieque est disputatum, nonnullis viris doctis antiquissimum in eo Evangelii Lucæ textum exhiberi statuentibus; quum tamen potius, id quod ex accuratiori ejus examine a S. V. Hahnio, Theologo Lipsiensi, instituto patet, sit exemplar Lucæ ad mentem Marcionis et decreta sectæ ejus semel atque iterum truncatum immutatumque.**) Ita quidem duorum Evangeliorum variatæ editiones inter veteres Christianos circumferebantur. Ad

*) Hæres. XXIX, §. 9. cf. de Wette Einleitung in das N. Test. §. 64, 65.

**) Das Evangelium Marcions in seiner ursprünglichen Gestalt. Königsberg 1823.

tertium quod attinet, Marci, vix illud umquam ab hæreticis ad sua placita adstruenda defendendaque adhibitum fuit. Extitit tamen forsitan duplex ejusdem editio; quæ quidem res nondum satis est explorata, attamen ex haud ita paucis testimoniis probabile fit, distinctum fuisse inter Evangelium Palæstinense, in quo integer noster Marcus legebatur, aliamque editionem a cap. inde XVI. 9. mutilam. Cujus Palæstinensis Evangelii notitia habetur in *multis codicibus* a Griesbachio recensitis, ut alios taceamus summo isti viro incognitos; quorum unum, seculo XII scriptum, optimæque notæ, dum Romæ commorabamur, in Museo Francisci Xaverii Cardinalis Zeladæ perlustravimus.*) Nusquam vero Evangelii Johannei, quod Catholici æque ac Gnostici summa veneratione prosequebantur narratum legimus, aliam quam vulgo cognitam extitisse editionem. Tanto igitur magis mirandum est ejusmodi post tot secula præter omnem exspectationem in

*) Hic ita quidem habet: *Παρὰ πλείςοις οὐ κεῖνται ταῦτα τὰ ἐπιφερόμενα ἐν τῷ κατὰ Μάρκον εὐαγγελίῳ*, (quæ post Marci XVI. 8 leguntur) *ὡς νόθα νομίζουσι αὐτά τινες εἶναι. Ἡμεῖς δὲ ἐξ ἀκριβῶν ἀντιγράφων, ὡς ἐν πλείςοις εὑρόντες αὐτὰ κατὰ τὸ παλαιςιναῖον εὐαγγέλιον Μάρκου, ὡς ἔχει ἡ ἀλήθεια, συντεθείκαμεν, καὶ τὴν ἐν αὐτῷ ἐπιφερομένην δεσποτικὴν ἀνάςασιν μετὰ τὸ: ἐφοβοῦντο γὰρ.* Eadem verba ex alio codice habet Birchius, collega conjunctissimus, in editione Evangeliorum.

lucem emergere codicem, qui diu in sacro tabulario Christianorum, ut vocari cupiunt, Johannitarum Parisiis adservatus, et a S. V. Hohlenberg, Theologiæ in alma nostra literarum Universitate Professore, ante hosce tres annos, venia ab humanissimis possessoribus facillime impetrata, cum vulgato Johannis textu sedulo collatus est; qua quidem collatione a viro doctissimo amicissime mecum communicata, nullus dubito, quin uberiore hujus codicis notitia omnibus sacræ critices atque historiæ ecclesiasticæ peritis rem gratissimam facturus sim.

II.

Membranaceus igitur hicce codex fertur esse apographum codicis vetusti, qui in Atho monte servari perhibetur, quem tamen Villoisonius, quum Bibliothecas monasteriorum in sacro hocce monte exstructorum examinaret, haud observasse videtur.*) Membranæ formam, quæ

*) Forsitan quia haud amplius in ulla horum Coenobiorum Bibliotheca exstat. Hæcce enim a pluribus inde seculis magna divitiarum suarum parte orbata esse, omnibus hujus rei peritis notum est. Multi quidem codices Mosquam migrarunt in Bibliothecam S. Synodi, ultimo hujus metropoleos incendio omnes fere deleti. In Occidentem quoque thesauri harum Bibliothecarum delati leguntur. Namque Johannes Lascaris sec. XV. circiter 200 libros in Bibliothecas a Laurentio Magnifico conditas intulit, quæ postea in unum celeberrimæ Bibliothecæ Mediceæ corpus coaluerunt.

quarta dicitur, superant. Exaratus est codex noster literis minusculis aureis, scriptura non quidem eleganti, sed ab exercitata tamen manu profecta, paucasque habet mendas, quæ tantum non omnes ortæ sunt ex Jotacismo; *) bene idem est interpunctus et accentuatus. Nullum desideratur folium, et scriptura optime servata est, paucis tantummodo locis exceptis, inprimis a v. 22. cap. IX. ad finem capitis. Codex vero ille in Atho monte adservatus seculo XII exeunte scriptus asseritur, qua de re infra videbimus. Nos enim sec. XIII exeunti eum adjudicamus, supparemque antiquitatem Parisiensi apographo adsignandam esse statuimus.

Continet igitur hicce codex omnia scripta Johannea, Evangelium, Epistolas, atque Apocalypsin. In hisce vero paucæ tantummodo eæque minoris momenti occurrunt lectionum varietates: tanto vero plures atque majores, omissiones nimirum et additamenta, præter varias, quæ in omnibus codicibus habentur, lectiones, in Evangelio reperiuntur. Distributum est in

*) Hasce mendas in collatione prætermisimus, quia sunt nullius momenti. Tres tamen notabimus. Cap. VI. v. 2. codex sic habet: *Ἠκολούθησαν αὐτοῦ* (lege *αὐτῷ*) *πολλοί, ὅτι ἑώρων αὐτοῦ τὰς Ἰατρίας* &c. ubi certe legendum *Ἰατρείας*; nam *Ἰατρίας* est mulieres medicas. Cap. VIII. 3. *Ἄγουσι δὲ . . . . πρὸς αὐτὸν γυναῖκα ἐπὶ μοιχείᾳ κατηλειμένην*, loco *κατειλημμένην*. Nam *κατηλειμένη* foret *uncta*, id quod sensui hujus loci plane repugnat. Cap. XIV. 22. *ὅτι ὑμῖν* (pro *ἡμῖν*) *μέλλεις ἐμφανίζειν σεαυτόν*.

XIX sectiones, capitibus, quæ nostra Evangelia habent, fere æquales, si unam XIVtam excipias a capitis XIII. v. 31 incipientem. Singulæ autem sectiones in codice dicuntur Ἐυαγγέλιον. Ultima amplectitur Evangelii caput XIX; nam plane desunt capita XX et XXI, haud quidem temporum injuria deleta, sed ex instituto omissa, ut ex clausula in fine codicis adjecta luculenter patet.

III.

Hisce generatim præmissis, jam accuratius de indole hujus codicis dispiciendum, causæque omissionum atque mutationum, quas expertus est, investigandæ nobis erunt, quantum quidem per difficultates, quibus totum hoc argumentum premitur, licebit. Et primo quidem quum huncce codicem adeo frequenter a recepto Evangelii Johannis textu dissentire animadvertissem, circumspexi reliquias sectarum ab ecclesia Catholica separatarum, an in fragmentis librorum ab hominibus iis addictis editorum aliquid huic rei inserviturum reperiri posset. Initio igitur a primordiis rei Christianæ facto, reliquiis commentariorum in ipsum Johannis Evangelium a Gnosticis auctoribus scriptorum aliisque eorum λειψάνοις examinandis curas impendi. Basilidis enim fragmenta librorum XXIV in Evangelium, qui ἐξηγετικοὶ dicebantur, nonnulla extant in Clementis Alexandrini et Ori-

genis operibus, nec non in Archelai disputatione cum Manete. Valentini Epistolarum, Homiliarum atque dissertationis reliquias servarunt iidem; Epiphanis et Isidori Clemens Alexandrinus, Ptolemæi Epiphanius; Heracleonis in Lucam Clemens Alexandrinus; ejusdem in Johannem Origenes; Theodoti Eclogas aliosque fontes ut taceamus. In hisce Gnosticorum fragmentis loci quoque afferuntur ex Evangelio Johannis, qui quam parum lucis adfundere possint *quæstioni de nostri codicis origine*, quum ejus lectiones cum iis raro consentiant, sequens lectionum invicem comparatarum syllabus monstrabit.

Cap. I.

V. 3. = integer. Legebatur vero hic in codicibus Ptolemæi Gnostici (Grabii Spicileg. Patrum II. p. 70) et Heracleonis (ibid. p. 85 et 100) qui tamen verba versus 4, *ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν* cum versu 3 conjunxisse videtur (Grabe p. 87) habent quoque Eclogæ Theodoti in Oper. Clementis Alex. ed. Potteri pag. 969, 980.

= 17. = *πώποτε.* quod legebatur in codice Heracleonis. (Grabe II. p. 88) *ἐδόθησαν.* Heracleon: *ἐγένετο.* ap. Photium in Epistola 134. (Grabe p. 117) quæ est lectio recepta.

Cap. II.

Omissa a v. 15-23, legebat et interpretabatur Heracleon. (Grabe p. 91, 92).

Omissa v. 16. *ἐξέλθετε ἐν τῆς οἰκίας τοῦ πατρός μου* habent Eclogæ Theodoti p. 969.

Cap. IV.

- 14. = *οὐ μὴ διψήσῃ ...... ὅ δώσω αὐτῷ.* legebat vero Heracleon. (Gr. p. 94).

V. 24. = πνεῦμα ὁ θεὸς legebat Heracleon. ὁ γὰρ θεὸς πνεῦμα habent excerpta Theodoti.
- 34. = ἐμοὶ. Heracleon ἐμὸν (Grabe p. 104).
- 50-53 in codice omissos haud repudiavit Heracleon. (Grabe p. 111).

CAP. VIII.

- 44. quem codex omittit, legit Heracleon. (Grabe p. 113-115).

CAP. XX.

- 22. quem codex una cum integris capp. XX. et XXI. repudiat, legitur in Excerptis Theodoti. (Clement. Alex. opera p. 967). Exstant tamen verba λάβετε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον...... κεκράτηνται in additamento ad Cap. XVII. 26.

Paucula quidem sunt hæcce, attamen mea sententia sufficiunt ad probandum, Evangelium de quo heic agitur cum antiquioribus illis apud Gnosticos circumlatis, quæ textum Johanneum cum vulgari satis consentaneum exhibuisse videntur, minime concordare. Neque facile plus lucrabimur lucis, si fontes adierimus, e quibus notitia recentiorum in Oriente Gnosticorum, Paulicianorum nimirum, haurienda nobis est. Hosce enim, licet Vetus Testamentum integrum rejecerint, Evangelia tamen et Apostolum reverenter habuisse, et tantummodo iniquius de nonnullis epistolis catholicis statuisse, illorum temporum scriptores perhibent.*) Neque ullum

*) Vide Friderici Schmidt dissertationem inauguralem de Paulicianis. Hafn. 1826, p. 44-48. et commentationem de eodem argumento in Wineri et Engelhardtii Neuem kritischen Journal der theol. Literatur VII. 1. 2. Sulzbach 1827.

extat testimonium vel indicium; unde colligi vel saltem conjici possit, Evangelium Johannis apud eos diversas a textu vulgari lectiones habuisse.

VI.

Quum igitur antiquis testimoniis plane destituamur, quibus de ætate Evangelii nostri aliquid effici possit, nihil superest, nisi ut ipsum ejus textum examinemus, ex eo antiquitatis, si fieri poterit, indicia collecturi. Et primum quidem videndum erit de iis ejus partibus, quæ textum receptum sequuntur; deinde de mutationibus, quas magno satis numero exhibet.

1. Atque facilis utique est prior hujus examinis pars: nam vel primo aspectu patebit, Parisiensem hunc codicem textum neutiquam exhibere antiquum, et priscis recensionibus, sive cum Griesbachio Alexandrinam atque Occidentalem, sive cum Hugio κοινὴν ἔκδοσιν, ab Hesychio deinde emendatam, appellaveris, haud consentire: consensum vero potius quærendum esse cum codicibus Constantinopolitanis, vel, ut Hugio placet, Lucianeis,*) quorum uberiorem notitiam dedit editio prior Matthæiana;**) id quod lectionum, quod sequitur, specimen abunde docebit.

---

*) Hugii Einleitung in das N. T. I. p. 208 edit. tertiæ.

**) Prodiit Rigæ 1786.

Cap. I.

V. 22. ὡσεὶ περιστερὰν.
- 43. ἐμβλέψας δὲ.
- 49. ὁ Ἰησοῦς.

Cap. IV.

- 5. ὃ ἔδωκεν.
αὐτοῦ.
- 15. ἔρχομαι apud Theophylactum.
- 27. ἐθαύμασαν apud eundem.
- 31. οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ.
- 36. καὶ ὁ θερίζων.
- 41. ἐπίστευσαν εἰς αὐτὸν.
- 46. ὁ Ἰησοῦς πάλιν.

Cap. V.

- 14. τί σοι.
- 16. καὶ ἐζήτουν αὐτὸν ἀποκτεῖναι.
- 36. ὃ δέδωκε.

Cap. VI.

- 28. τί ποιοῦμεν apud Theophylactum.
- 39. πατρὸς apud Photium et Theoph.
- 43. ἀπεκρίθη οὖν.
- 45. πᾶς οὖν.
- 52. τὸ μάννα = ἐν τῇ ἐρήμῳ.
- 68. ἀπεκρίθη οὖν.
- 69. Χριστὸς ὁ υἱὸς του θεοῦ τοῦ ζῶντος.

Cap. VII.

- 16. ἀπεκρίθη οὖν. Theophylactus.
-21-22. θαυμάζετε. Διὰ τοῦτο.

Cap. VIII.

- 3. ἐπὶ μοιχείᾳ. Sic quoque habet codex Landolinianus Syracusis, sec. XII. exaratus, integrum Novum Testamentum præter Apocalypsin complectens.
- 4. ταύτην εὕρομεν ἐπ' αὐτοφόρῳ μοιχευομένην. Ita quoque codex Syracusanus.

V. 5. ἐν δὲ τῷ νόμῳ ἡμῶν. Sic etiam Syracusanus.
- 6. ἵνα ἔχωσι κατηγορίαν κατ' αὐτου.
μὴ προσποιούμενος.
- 10. = ἡ γυνή.
- 11. + ἀπὸ τοῦ νῦν ut Syracus.
- 14. καὶ ποῦ ὑπάγω.
- 39. ἦτε.
- 42 et 48. εἶπεν οὖν.

Cap. IX.

- 8. ὅτι τυφλὸς ἦν. Theoph.
- 11. εἰς τὴν κολυμβήθραν τοῦ Σιλωάμ.

Cap. X.

- 26. καθὼς εἶπον ὑμῖν, conjungit cum præcedentibus.

Cap. XI.

- 1. ἀδελφῆς ἀυτοῦ. Codex unicus apud Matthæium pag. 196.
- 41. οὗ ἦν ὁ τεθνηκὼς κείμενος.
- 45. ἃ ἐποίησεν ὁ Ἰησοῦς.

Cap. XII.

- 35. μεθ' ὑμῶν.
- 47. καὶ ἐάν τις οὐκ ἀκούσῃ τῶν ῥημάτων.
Codex Byzantinus: ἐάν τίς μου μὴ ἀκούσῃ, Matthæi pag. 232.

Cap. XIII.

- 23. εἷς τῶν μαθητῶν.
- 24. = οὖν.
- 33. ὅπου ὑπάγω ἐγώ. Theophyl.

Cap. XIV.

- 28. ὅτι εἶπον. Theophyl.

Cap. XV.

- 6. εἰς τὸ πυρ.

Cap. XVI.

- 3. ποιήσουσιν ὑμῖν, Theophyl.
- 33. ἵνα ἐν ὑμῖν. unicus ap. Matthæium p. 286.

Cap. XVIII.

V. 8. ἄφετε ἀυτοὺς ὑπάγειν, tres codd. apud Matthæium pag. 302.
- 20. ὅπου πάντοτε. Theophyl. ὅπου πάντοτεν.
- 25. ἠρνήσατο οὖν. Theophyl.

Cap. XIX.

- 4. ἐξῆλθεν οὖν.
- 38. μετὰ ταῦτα.
- 40. ἐν ὀθονίοις. Theophyl.

Sæpius in hoc lectionum recensu consensus cum textu a Theophylacto Bulgarorum Archiepiscopo usurpato reperitur; unde probabiliter statui poterit, recentiorem Constantinopolitanam editionem præ oculis habuisse librarium, qui codicem in Atho monte servatum, ex quo noster haustus est, exaravit.

2. Textum vero, quem exhibet codex, non ex integris tantum Evangelii Johannis libris manuscriptis, sed ex lectionariis quoque conflatum fuisse, abrupta plurium capitum initia suadent, quæ si cum editione Matthæiana posteriori comparaveris,*) in qua initia lectionum notata sunt, magnam utique similitudinem invenies. Nec difficile erit causam indagare. In nostris enim Evangelii exemplaribus narratio continua serie procedit; in hocce vero unum quodque caput novum orditur Evangelium; singula enim capita, uti monuimus, Evangelia dicuntur. Hæc est causa

*) Wittenbergæ 1803.

cur haud invicem nexa inveniantur. Exempla habes sequentia.

CAP. II.

V. 2. *Γάμος ἐγένετο ἐν Κανᾷ τῆς Γαλιλαίας*, omissis præviis verbis: *καὶ τῇ ἡμέρᾳ τῇ τρίτῃ*. Sic quoque apud Mathæium p. 516. *Ἀρχη* uncis inclusa legitur post illa verba et ante *Γάμος*.

CAP. III.

\- 1. *ἦν ἄνθρωπος ἐκ τῶν φαρισαίων*, omisso *δὲ*.

CAP. IV.

\- 1. *ὡς ἔγνω ὁ κύριος*, omisso *οὖν*.

CAP. V.

\- 1. *ἦν ἑορτὴ Ἰουδαίων*, ubi textus receptus habet: *μετὰ ταῦτα ἦν ἡ ἑορτὴ τ. Ι.*

CAP. VI.

\- 1. *ἀπελθὼν ὁ Ἰησοῦς πέραν τῆς θαλάσσης*, ubi omittuntur prævia *μετὰ ταῦτα*, et participii loco *ἀπῆλθεν* habetur. Hujus vero constructionis participialis causa cernitur in mutatis versus 2di verbis.

CAP. IX.

\- 1. *εἶδεν ἄνθρωπον τυφλὸν ἐκ γενετῆς* = *καὶ παράγων*. ap. Matthæium *Ἀρχη* ponitur ante *παράγων* pag. 582.

CAP. XII.

\- 1. *ὁ Ἰησοῦς πρὸ ἓξ ἡμερῶν τοῦ Πάσχα* = *ουν*. apud Matthæium pag. 603. *Ἀρχη* ponitur post *ὁ οὖν Ἰησοῦς*.

3. Patriam et ætatem codex noster indicat Orientem atque medium ævum. Græcus enim est, qui sermo in Asia minori ante Turcarum

invasionem atque in Græcia unus valuit. Medium ævum agnosces ex variantium indole Constantinopolitana eaque seriori; præterea quoque ex colore græcitatis impuræ et infimam potius ætatem sapientis, passim in his, inprimis vero in additamentis facile observando. Exemplo sint sequentia.

Cap. II.

V. 11. *καὶ ἐφανέρωσε τὴν μάθησιν αὐτοῦ*, inusitatum plane, *μάθησιν* pro *πολυμαθίᾳ* vel *σοφία* ponere.

\- 15. ita mutatur textus: *Ἤλεγξεν αὐτοῖς τὴν ἀσέβειαν αὐτῶν, καὶ ἀπῆλθον.* Inusitata construendi ratio. Vulgo dicitur *ἐλέγχειν τινὰ περί τινός.* Sic etiam apud Johannem VIII. 46.

Cap. IV.

V. 50. Additamentum. *Ἔγνω ὁ πατὴρ πᾶσαν τὴν ἔκτασιν τῆς γνώσεως καὶ δυνάμεως τοῦ Ἰησοῦ.* *Ἔκτασις* metaphorice loco *μέγεθος* inusitatum, vix unquam dictum reperies. Usurpatur de productione syllabæ brevis in longam. Dicitur quoque *ἔκτασις χειρῶν.*

Cap. V.

\- 29. *ἀναστήσονται ἐπὶ ζωῆς.* Purior græcismus, *ἐπὶ ζωήν.*

Cap. VI.

\- 2. In additam. *Ἠκολούθησαν αὐτοῦ πολλοί*, constructio barbara, nam *ἀκολουθεῖν* construitur *τινὶ* aut *μετά τινός.*

\- 12. *ἵνα ἐάν τι μὴ ἀπόληται*, vitiose loco *ἵνα μή τι.*

\- 13. *ἵνα διαμοιρίσωσι τοῖς πτωχοῖς.* *Διαμοιρίζω* pro *διαμοιράομαι*, verbum lexicis ignotum: apud Jul. Pollucem habetur vero *διαμοιριστής.*

V. 22. εἰς τὸ πέρα μέρος, loco πέραν. ἔτρεψε καὶ ἔμειναν v. ἔμεινεν jungi non possunt; neque ferri potest, ἔμειναν εἰς τὸ πέρα μέρος τῆς θαλάσσης.

- 26. διδάσκω ὑμῖν. Διδάσκειν semper regit accusativum. Sic quoque v. 42 ἐδίδαξεν ἡμῖν.

- 30. ἐργάζεις, loco ἐργάζῃ, ut textus Johanneus habet.

- 42. In additam. μήπως καθότι καθοίκησεν παρὰ τῶν Ἑλλήνων: ex puriori Græcismo μήπως καθότι κατῴκησεν παρὰ τοῖς Ἕλλησι.

- 70. ὁπόταν ἐδέχθην loco ὁπότε ἐδεξάμην.

Cap. VII.

- 39. ἡ ὥρα τῆς ἐνδοξάσεως τοῦ Ἰησοῦ οὐκ ἐλήλυθε ἔτι. Ἐνδόξασις in lexicis haud reperitur. Ἐνδοξάζειν vero et ἐνδοξασμός apud τοὺς Ο' legitur. cfr. Bielium Schleusneri.

Cap. X.

- 1. in additam. πῶς ἀπεςάλθης παρὰ τοῦ θεοῦ; scribere debuit ἀπεστάλης.

Cap. XI.

- 44. καὶ εὐθέως ὁ τεθνηκὼς ἐσάλευσε. Inusitatior est verbi σαλεύειν usus, sed in Simonis Portii dictionario Latino-Græco-Barbaro et Literali (Paris. 1635) relatum video inter Græca Ῥωμαϊκά, quod sit idem ac κινῶ.

Cap. XIII.

- 35. ἐὰν ἀγάπην ἔχητε ἀλλήλοις: nisi forte errore librarii omissum sit ἐν post ἔχητε.

Cap. XV.

Init. additam. Περιπατήσαντες οὖν καιρόν τινα, ςρέψας πρὸς τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ ὁ Ἰησοῦς, λέγει αὐτοῖς. Nominativus hic absolutus loco Genitivi, haud ante sec. III. usurpari coepit, imprimis ab Æliano et Philostrato. Eundem invenies II. 8. καὶ ἐγγίζοντες αὐτοῦ τὸ ὕδωρ, λέγει αὐτοῖς. X. 1. in additamento. ὁ Ἰησοῦς συναπαντήσας πάλιν τοὺς φαρισαίους, οὗτοι

ἔλεγον αὐτῷ et XIII. 27. καὶ λαβὼν τὸ ψωμίον ὁ Ἰουδᾶς, λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς.

V. 26. Additam. ὅταν ὁ παράκλητος..... ἔλθῃ ἐν ὑμῖν. loco εἰς ὑμᾶς.

Cap. XVI.

- 7. Additam. ἀλλ' ἐλεύσεται ἐν ὑμῖν. loco εἰς ὑμᾶς.
- 13. Additam. ὅταν δεχθῆτε τό πνεῦμα τῆς ἀληθείας. loco δέξησθε.

Cap. XVII.

Post versum 26 in additamento: ἵνα ὁ κόσμος γνώσῃ αὐτὸ. loco γνῷ.

Cap. XVIII.

- 2. Addit. Ἰούδας εἰδὼς αὐτὸν ἐν τῷ τόπῳ ἐκείνῳ. scribere debuit εἶναι. v. ὄντα.
- 12. καὶ ὑπήγαγον αὐτὸν πρὸς Ἄννα πρῶτον. purior lectio recepta ἀπήγαγον.

Cap. XIX.

- 26. οὐ κλαίεις in addit. Scribere debuit οὐ κλαύσεις.

4. Neque plane latinismi exulant, qui in textum græcum irrepserunt, et scriptorem additamentorum, latinum forsitan hominem, auctorem habent. Hujusmodi sunt sequentes.

Cap. II.

V. 22. αὐτὸς δὲ ἐγίνωσκε πᾶν ὃ δύναται γνωστὸν γενέσθαι ἔξω καὶ ἔσω ἐν τῷ ἀνθρώπῳ. Vix sunt Græca, sed accurate respondent latino *notum fieri.*

Cap. VI.

- 20. ἤθελον ἐλθεῖν καὶ βοηθῆσαι αὐτόν. βοηθεῖν τινα vix legitur apud scriptores bene græcos. Videtur esse latinum *adjuvare aliquem.*
- 70. in additam. καθὼς ἐνετάχθη μοι. Verbum a Græcismo alienum: scribere debuit προσετάχθη μοι.

Lectio fortassis orta est ex latino *sicut injunctum est mihi.*

Cap. XI.

V. 1. Additam. ὁ Ἰησοῦς συναπαντήσας πάλιν τοὺς Ἰουδαίους. Admonet falsa hæc verbi συναπαντᾷν cum Accusativo constructio latini *convenire aliquem.*

Cap. XVII.

– 3. αὕτη δὲ ἡ ζωὴ συνίσαται τοῦ ζῆν. Obscura sunt pro αὕτη δὲ ἐσι ἡ ζωὴ τὸ ζῆν. Συνίσαται vero est latinorum *constat.*

– 5. καὶ νῦν δόξασον με..... τῇ δόξῃ ἣν εἶχον..... παρά σου; loco ᾗ εἶχον, ut textus Johanneus habet. Est latinum *Quam habui.*

– 13. Νῦν δὲ παρά σε ἔρχομαι. loco πρός σε, ut textus Johanneus habet: *ad te venio.*

Cap. XIX.

– 26. Addit: Ἰδοὺ ὁ υἱός σου, οὗτος τηρήσει τόπον ἐμόν. est latinismus, *filius tuus locum meum tenebit, loco mei erit.*

5. Præter hæc locus cap. XV, 26, in quo promissio de Paracleto mittendo haud parum immutata legitur, latinizantem doctrinam exhibet, et illud quidem tempus indicat, quo lis de processione Spiritus Sancti inter utramque ecclesiam, græcam et latinam, vehementius agebatur. Ita enim codex habet: *Ὅταν δὲ ὁ παράκλητος, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ὁ παρὰ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ ἐκπορεύεται, καὶ ὅνπερ δώσω ὑμῖν παρὰ τοῦ Πατρός μου, ἔλθῃ ἐν ὑμῖν* &c. quibus verbis dogma ecclesiæ occidentalis de processione Spiritus Sancti a Patre Filioque luculenter declaratur. Neque tamen plane re-

fragabor, si quis alium locum dogmati orientali favere statuat, cap. nimirum XIV, 26. ubi verba: *ὁ δὲ παράκλητος τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ὃ πέμψει ὁ πατὴρ ἐν τῷ ὀνόματί μου,* sic variantur, ut legatur *ὃ πέμψει ὁ πατὴρ δι' ἐμοῦ.* Hæc enim phrasis plane conspirat cum terminologia Patrum Græcorum a Cyrillo Alexandrino inde, qui Spiritum Sanctum docuerat esse *ἐκ πατρὸς δι' υἱοῦ,* vel *προχεόμενον ἐκ πατρὸς δι' υἱοῦ.* Verum quum ipse Cyrillus eodem quoque loco statuat Spiritum Sanctum esse *ἐξ ἀμφοῖν οὐσιώδως, ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ,**) et *πρόεισι δι' ἀμφοῖν καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ζωοποιοῦν;***) nihil aliud de hoc loco definire ausim, nisi hoc: immutatum quidem esse ex industria ab homine controversiæ bene gnaro, eumque iisdem illis verbis eaque phrasi usum esse, de cujus sensu in utramque partem disputabatur, illamque significationem admisisse, qua in ecclesia occidentali accipiebatur.***)

6. Huc accedit, quod ipsa codicis nostri in singulas sectiones divisionem plane recedit a Græcorum recentiorum, Euthymii et Theophylacti, distributionibus in *τίτλους* et *κεφάλαια:* hi enim

---

*) L. XXXIV. Thesaur. p. 345.

**) de recta fide ad Imperatrices cap...

***) de hac controversia vide *Ziegleri* Geschichtsentwicklung des Dogma vom heil. Geist, in Tomo I. Dissertationum ejus Theologicarum p. 78.

τίτλοι in Johanne numero erant XVIII, ut perhibet Svidas.*) In nostro quidem codice, qui singulas sectiones Ἐυαγγέλια nuncupat, demtis duobus ultimis capitibus, quæ repudiat, habentur XIX. Hæ vero sectiones, una tantummodo excepta XIV[ta] quæ ultimos capitis XIII. versus ab 31 inde, omissis tamen 36–38, complectitur, eædem plane sunt, quas nostræ editiones habent. Hæc autem sacri codicis in capita divisio debetur Hugoni a S. Caro, Romanæ Ecclesiæ Cardinali qui, sec. XIII. circa ann. 1245 floruit, et *Biblia cum Postilla* edidit in quibus hac in capita distinctione primus usus est.**). Hinc vero, si non clare patet, valde tamen fit probabile, easdem has divisiones imitatum esse antiquioris illius codicis in Atho monte, ut fertur, servati scriptorem, quisquis is demum fuerit; easque ex eo in codicem Parisiensem translatas esse.

IV.

Præter ea, quæ hactenus observavimus occurrunt quoque in textu codicis nostri multæ mutationes plane novæ, quæ in nullo Evangelii Johannei canonici codice nullaque veteri versione leguntur. Has igitur ad canam antiquitatem haud pertinere quisque videt; sunt vero ex instituto industriaque factæ ad confirmandam adstruen-

*) Hugii Introd. in N. T. ed. tertiæ, Tom. I, pag. 267.
**) ibid. pag. 269.

damque doctrinam eorum, qui isto codice tamquam libro sacro usi sunt, quemadmodum Marcion quoque Lucæ Evangelium suæ sectæ decretis accommodavit. Nulli tamen, quæ inter Christi asseclas extitit, sectæ, quantum quidem ex hoc nostro codice colligere licet, inserviisse videtur, licet Gnosticismi nonnunquam vestigia appareant: minime vero, quamquam nomen Christianorum Johannitarum, quo possessores ejusdem salutari cupiunt, nos veterum Discipulorum Johannis, qui præterea a Baptista nomen ducunt, admonet, de hisce cogitandum est. Itaque ex indole codicis, quæ fuerint eorum placita, conjiciendum, atque hinc quoque causæ omissionum et additamentorum cæterarumque illarum mutationum, quæ haud sunt meræ lectiones variantes, eliciendæ nobis erunt.

1. Et hoc quidem universe statuendum, hosce Christianos in doctrina de S. Trinitate communem Christianorum fidem amplecti, id quod ex cap. 1. patet, in quo nonnisi versus 3 et 10 exciderunt; unde quidem colligere licet, creationem universi λόγῳ divino ab iis haud attributam, minime vero intimam ejus cum Deo conjunctionem negatam esse. Fides vero eorum orthodoxa de Spiritu Sancto ex iis patet, quæ cap. XV. v. 15. et inprimis v. 26 de Paracleto leguntur.

2. Christum esse divinum legatum, quævis hujus libri pagina testatur; quemadmodum

enim in Evangelio canonico *filius Dei* salutatur, sic in hoc quoque; et licet cap. XVII. 3. verba Evangelii haud legantur, idem tamen sensus elici potest ex iis quæ substituuntur. *Αὕτη δὲ ἡ ζωὴ συνίςαται τοῦ ζῆν ἐν σοὶ, ἐν τῷ υἱῷ σου, καὶ ἐν τῷ πνεύματι, παρ' οὗ γνωρίζομεν, καὶ ἐγνωρίσθημεν.* Sed haud plane liquet, quasnam sibi de ratione, qva Jesus a Deo revelationem acceperit, et modo, quo ab eo missus fuerit, informaverint notiones: nam verba Judæorum cap. VI. v. 42 textui adjecta: *τί κοινόν ἐςι, ἅπερ ἐδιδάχθη παρὰ τοῖς Αἰγυπτίοις,* et cap. VII. *πῶς οὗτος γράμματα οἶδε μὴ μεμαθηκώς, εἰ μὴ τὰ γράμματα τῶν Ἑλλήνων,* si cum additamento ad cap. VI. 70, conferuntur; ubi ipse Christus ait, se duodecim Apostolos elegisse, *καθὼς ἐνετάχθη μοι ὁπόταν ἐδέχθην τὴν ἐξουσίαν ἄνωθεν, τοῦ διδάσκειν ἐν πατρὶ καὶ ἁγίῳ πνεύματι, καὶ δώσω ὑμῖν μετὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος τὴν δύναμιν, ἣν ἔλαβον παρὰ τοῦ πατρὸς καὶ παρὰ τοῦ πνεύματος ἐν τῷ ναῷ, ὅπου διατηρεῖται ὁ ἄρτος τῆς αἰωνίου σοφίας* — indicare videntur hanc horum hominum fuisse sententiam; Jesum altiorem initiationem providente ac concurrente divino numine nactum esse in templo quodam Ægyptio, in quo divinæ sapientiæ præcepta asservata mystisque tradita fuerint: cujus quidem opinionis de Christo in Ægypto, ab Essenis maxime, educato atque instituto, apud alios quoque homines ad nostram usque ætatem vestigia habentur. Quæ

quemodocunque sese habent, hoc tamen certum est, e nostro codice luculenter patere, omne meritum Christi de salute humani generis unice poni in divina ejus doctrina. Hanc respicit Nicodemus cap. III. 2. οὐδεὶς γὰρ ταῦτα τὰ θαύματα δύναται διδάσκειν; hanc quoque verba Christi cap. VI. 70. jam commemorata, solam indicant. Nec ullum de morte Jesu Christi humano generi salutari effatum in hoc codice legitur. Habet quidem cap. I. 29, verba Baptistæ Ἴδε ὁ ἀμνὸς τοῦ θεοῦ ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου; nec non eadem quæ v. 36 leguntur; at alio modo hæc explicari potuerunt quam de morte Christi expiatoria: quam verba cap. X. 11, de bono pastore animam suam pro ovibus suis dante, atque illa quæ XV. 13. leguntur: majorem hac dilectionem neminem habere, ut animam suam ponat quis pro amicis suis, obscure tantum indicant. Inprimis vero attendendum est ad locos in codice omissos: licet enim servata sint verba Domini Joh. XII. 32. κἀγὼ ἐὰν ὑψωθῶ ἐκ τῆς γῆς, πάντας ἑλκύσω πρὸς ἐμαυτόν, versus tamen 33, quo hæc verba de morte Christi explicata sunt, desideratur. Neque verba cap. III. 14 quibus Dominus ad serpentem æneum adludit, de ejus morte ab auctoribus codicis fuisse intellecta, abunde patet ex VIII. 28, in quo versu desunt verba Evangelii canonici Ὅταν ὑψώσητε τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου. Deest quoque integer ver-

sus XVIII. 32, quo eadem cum serpente æneo comparatio respicitur.

3. Miracula a Jesu Christo patrata codex noster vix admittit. Ea enim aut ambigue narrat, aut ita proponit, ut nil miraculosi in iis inesse videatur; aut denique plane reticet. Ambigue enim narratur miraculum primum a Jesu Christo Canæ Galilææ factum, quod ultimis narrationis verbis *doctrinæ* ejus adscribitur; mutata enim sunt cap. II. v. 11, *καὶ ἐφανέρωσε τὴν δόξαν αὐτοῦ* in *ἐφανέρωσε τὴν μάθησιν αὐτοῦ.* Eodem modo sanatio filii ministri regii cap. IV. 26, sequ. exposita legitur; *πορεύομαι,* inquit Jesus v. 50. *ἵνα ὁ υἱός σου ζῇ· καὶ ἔζησε:* additque auctor, patrem agnovisse *πᾶσαν τὴν ἔκτασιν τῆς γνώσεως καὶ δυνάμεως τοῦ Ἰησοῦ:* quibus verbis, licet scientia primo loco ponatur, potentia tamen haud plane excluditur, nisi malis utramque conjungere, ut sit *γνῶσις δυνατή.*

Miracula porro ita proponuntur, ut nil præternaturale in iis inesse cernatur. Sic v. c. cap. VI. 2. ubi *τὰ σημεῖα ἃ ἐποίει ἐπὶ τῶν ἀσθενούντων,* mutantur in *τὰς ἰατρείας.* In eodem capite miraculum, quo populum in monte saturavit, ita narratum est, nt nil extraordinarii cernatur v. 9. Adfuisse enim hominem cum panibus et piscibus, omisso numero, omissoque v. 13 de duodecim cophinis. Neque aliter exhibetur historia resuscitationis Lazari cap. XI.

Omittuntur versus 13–16, quibus ipsa Jesu verba de Lazaro mortuo adferuntur. Ipse Jesus Marthæ dicit v. 23, ὁ ἀδελφός σου ὑπνῶται, et, quum adstantes adseverassent, mortuum esse, ambigue respondit: εἰ μέντοι ἀπέθανε, ἀναςήσεται. Omnium denique miraculorum maximum, resurrectionem Domini, plane reticet. Evangelium enim omittit capp. XX et XXI. et desinit narratione de sepultura Christi; additque clausulam, ex qua patet, consulto omissa esse quæ sequuntur. Neque habet Joh. XXI, 22. vaticinium Christi de resurrectione sua.

4. Vaticiniis autem vix magis quam miraculis favet. Licet enim effata sacrorum scriptorum atque facta in Veteri Testamento narrata nonnunquam laudet v.[1] c. XII. 38 et 40 ubi Jesaiæ LIII. 1. VI. 9, 10 et VI. 1, citantur, VI. 31, 49 de manna, qua Israelitæ in deserto vescebantur VIII. 56, de Abrahamo exultante, ut videret diem Christi, Genes. XXII. 18. de serpente æneo, Num. XXI. 8, 9, Joh. III. 14, et sic porro: vaticinia tamen proprie sic dicta haud admittere videtur. Sic v. c. Cap. XII. 15. deest citatum ex Jesaiæ LXII. 11, una cum tota narratione de triumphali Jesu in Hierosolyma ingressu; desunt porro XIII. 18, e Psalmo XLI. 10. XIX. 24, e Psalmo XXII. 19, ibid. v. 28, e Psalmo LXIX. 22, XIX. 36, 37, Exod. XII. 46, et Zachar. XII. 10. Generatim vero verba ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ in nostro codice

deleta sunt; nec de ipso Domino usurpantur; nam verba cap. XVIII. v. 32. Ἵνα ὁ λόγος τοῦ Ἰησοῦ πληρωθῇ, ὃν εἶπε, σημαίνων ποίῳ θανάτῳ ἤμελλεν ἀποθνήσκειν, haud leguntur. Sic ipsi Christo, quod quoque patet ex omissione loci II. 21, 22, futura prædicendi facultatem vix tribuisse videtur, qui codicem scripsit.

5. Judaicarum rerum formularumque parum se exhibet curiosum. Omittit v. c. cap. II. 6. notitiam, quam Evangelium canonicum suppeditat, hydrias positas fuisse κατὰ τὸν καθαρισμόν τῶν Ἰουδαίων. Omittit plane narrationem de numulariis iisque, qui hostias vendebant, e templo ejectis, cap. II. 14 seqq.; nec non interpretationem vocis Σιλωάμ. Cap. IX, 7, et I. 43, simpliciter habet σὺ κληθήσῃ Κηφᾶς. Loco υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, cap. V. 27, VI. 62, habet υἱὸς τοῦ πατρὸς; neque admittit ἐσχάτην ἡμέραν cap. VI. 39, 44, et XI. 24, in cujus locum cap. VI. reponit αἰώνιον ζωήν. Plura facile invenientur; sed hæc sufficiant.

6. Ultimo denique loco silentio haud est prætereundum, codicis hujus auctores animum prodere de rebus Petri Apostoli enarrandis minus sollicitum. Parcius enim ejus mentionem fecerunt. Cap. XIII. 6-11, omittitur narratio de colloquio Petri cum Domino, quum is discipulorum pedes lavaret. Eodem modo omittuntur versus 36-38, in quibus prædictio Jesu de abnegatione Petri legitur, nisi hoc potius inde de-

rivandum est, quod nulla Jesu vaticinia in codice nostro tribuuntur. Reticet quoque cap. XVIII. 10 et 26 vulnus a Petro servo pontificis maximi inflictum. Vix igitur statui poterit, Christianos, qui hoc nostro codice usi sunt, Petro Apostolo aliquam tribuisse honoris vel auctoritatis prærogativam. Quin potius ipsum eorum, Johannitarum, nomen indicat, eos dilecto Domini discipulo inprimis adhæsisse, id quod præterea additamentum ad cap. XVII. 26, aperte declarat, in quo verba leguntur: *Ἀλλ' Ἰωάννης ἔσεται ὁ πατὴρ ὑμῶν, ἕως ὅτου ἔλθῃ μετ' ἐμοῦ ἐν τῷ παραδείσῳ.* Neque certe repudiassent integrum cap. XXI., nisi res Jesu post resurrectionem contineret, quam eorum Evangelium reticet.

V.

Hisce breviter disputatis, nam plura, quæ aliis relinquimus, addi facile potuissent, collationem codicis tibi B. L. offerimus, haud eam quidem integram, sed satis tamen accuratam et copiosam, ita ut tota ejus indoles intelligi queat. Ex accuratissima enim illa, quam S. V. Hohlenbergius mecum communicavit, omisi quæ minoris tantum sunt momenti, v. c. articulum *ὁ* ante nomina propria, nomen servatoris aut additum aut omissum; particulas *γὰρ, δὲ, καὶ, οὖν,* crebro permutatas, additas vel omissas; iis tamen locis exceptis, ubi majorem cum familia Constantinopolitana cognationem

indicant, quorum quoque §. IV. passim mentionem feci; temporum quoque in verbis diversitates, et singulorum verborum transpositiones haud ubique indicavi. Neque opus esse credidi, hæc omnia ad amussim referre, quum tamen hic codex critico usui nunquam inservire possit. Sed si quando totus ac integer in nova, quam S. V. Thilo, Theologus Halensis, parat, codicis Apocryphi Fabriciani editione luce donari possit, rem sane omnibus Theologis gratissimam facturos se esse, *sibi* persuadeant ejus custodes.

COLLATIO CODICIS.

CAP. I.

V. 3. = totus.
- 4. = *τῶν ἀνθρώπον.*
- 10. = totus.
- 11. = *αὐτὸν.*
- 13. loco *ἀνδρὸς* habet *ἑνὸς ἀνθρώπου.*
- 14. = *καὶ ὁ λόγος.*
- 16. *καὶ ἐκ τοῦ πληρώματος.*
- 17. = *πώποτε.*
  loco *ἐγένετο* habet *ἐδόθησαν.*
  οὗτος ἐςιν ὁ ὀπίσω μου ἐρχόμενος, ὃς ἔμπροσθέν μου γέγονε.
- 43. *σὺ κληθήσῃ Πέτρος.*
- 44. *καὶ λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς.*

CAP. II.

- 1. = *καὶ τῇ ἡμέρᾳ τῇ τρίτῃ.*
- 4 et 5. = usque ad *Ἦσαν δὲ ἐκεῖ.*
- 5. = *κατὰ τὸν καθαρισμὸν τῶν Ἰουδαίων.*
- 7. *πληρώσατε τὰς ὑδρίας ὕδατι καὶ φέρετε αὐτὰς πρὸς ἐμέ.*
- 8. *καὶ ἐγγίζαντες* (corr. *ἐγγίσαντες*) *αὐτοὺς τὸ ὕδωρ λέγει αὐτοῖς.*

V. 11. loco ταύτην habet ἐνταῦθα.
= ἐν κανᾷ τ. Γαλ.
loco τὴν δόξαν habet τὴν μάθησιν.
- 15-23. = Habet vero Ἤλεγξεν αὐτοῖς τὴν ἀσέβειαν αὐτῶν καὶ ἀπῆλθον· καὶ ἤρξατο διδάσκειν. Ἀκούοντες δὲ τὴν διδασκαλίαν αὐτοῦ, τινὲς ἐξ αὐτῶν ἐπίςευσαν ἐν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ.
- 24. Post πάντας, + καὶ γινώσκων πάντα.
- 25. ultima verba: αὐτὸς δὲ ἐγίνωσκε πᾶν ὅ δύναται γνωςὸν γενέσθαι ἔξω καὶ ἔσω ἐν τῷ ἀνθρώπῳ. Desunt vero τί ἦν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ.

Cap. III.

- 2. πρὸς τὸν Ἰησοῦν.
ταῦτα τὰ θαύματα δύναται διδάσκειν.
- 5. = ὕδατος καὶ.
- 23. ἐγγὺς τοῦ Σαλὴμ, καὶ πολλοὶ παρεγίνοντο &c.
- 31. Ultima verba ἐπάνω... καὶ v. 32 = quoque in nonnullis codd. a Griesbachio recensitis.

Cap. IV.

- 1. ὡς ἔγνω ὁ κύριος.
- 2. = καίτοιγε..... μαθηταὶ αὐτοῦ.
- 14. = οὐ μὴ διψήσῃ..... ὅ δώσω αὐτῷ.
- 24. = πνεῦμα ὁ θεός.
- 25. = ὁ λεγόμενος Χριςός.
- 27. ἐθαύμασαν.
- 29. loco ὁ Χριςὸς habet ὁ Μεσσίας.
- 34. ἐμοὶ βρῶμα.
- 41. ἐπίςευσαν εἰς αὐτόν.
- 42. = ὁ Χριςός.
- 45. = πάντα et ἐν Ἱεροσολ..... εἰς τὴν ἑορτήν· ultima omittit quoque cod. ap. Griesbach.
- 48. = σημεῖα καὶ.
- 50-53. desunt; habet vero codex: πορεύομαι ἵνα ὁ υἱός σου ζῇ, καὶ ἔζησε· Ἔγνω ὁ πατὴρ πᾶσαν τὴν ἔκτασιν τῆς γνώσεως καὶ δυνάμεως τοῦ Ἰησοῦ, καὶ ἐπίςευσεν αὐτὸς καὶ ἡ οἰκία αὐτοῦ.
- 54. desunt verba ἐλθὼν..... Γαλιλαίαν.

Cap. V.

V. 1. = μετὰ ταῦτα.
- 3. = ἐκδεχομένων τὴν τοῦ ὕδατος κίνησιν.
- 4. deest.
- 5. loco τριάκοντα καὶ ὀκτὼ ἔτη. habet πολλὰς ἡμέρας.
- 6. καὶ γνοὺς ὅτι ἀσθενὴς ἦν.
- 7. ἵνα βάλλῃ με.
= ἐν ᾧ δὲ.... καταβαίνει.
- 8. post ὁ Ἰησοῦς + ἐγγίσας αὐτοῦ.
- 16. post Ἰουδαῖοι + καὶ ἐζήτουν αὐτὸν ἀποκτεῖναι.
- 27. ὅτι υἱὸς τοῦ πατρός ἐςιν, καὶ ὅτι ὁ πατὴρ καὶ ὁ υἱὸς κρίνουσιν ἐν πνεύματι.
- 29. ἀναςήσονται ἐπὶ ζωῆς καὶ οἱ τὰ φαῦλα πράξαντες ἀναςήσονται &c.

Cap. VI.

- 1. Ἀπελθὼν ὁ Ἰησοῦς. = μετὰ ταῦτα.
- 2. Ἠκολούθησαν αὐτοῦ (lege αὐτῷ) πολλοὶ, ὅτι ἑώρων αὐτοῦ τὰς ἰατρίας, ἃς ἐποίει ἐπὶ τῶν ἀθενούντων.
- 5. loco θεασάμενος deest verbum in codice; apographum vero habet ἰδὼν.
- 6 et 7. desunt.
- 9. ἔςι ἄνθρωπος ὃς ἔχει ἄρτους κριθίνους καὶ ὀψάρια.
- 10. deest.
- 12. ἐάν τι μὴ ἀπώληται.
- 13. 14. συνήγαγον οὖν, ἵνα διαμοιρίσωσι τοῖς πτωχοῖς· καὶ ἐθαύμαζον τὴν φιλανθρωπίαν τοῦ Ἰησοῦ, καὶ ἔλεγον πρὸς ἀλλήλους· ἂν (sic) ἦν κύριος ἡμῶν, ἐσόμεθα ἀεὶ πλήρεις.
- 19. θεωροῦσι τὸν Ἰησοῦν ἐρχόμενον ἐπὶ τῆς θαλάσσης καίτοι διηγερμένης.
- 20. = Ἤθελον ἐλθεῖν καὶ βοηθῆσαι αὐτὸν.
- 21. = εἰς ἣν ὑπῆγον.
- 22-25. = Habet vero: τῇ ἐπαύριον ἐκεῖνοι οὓς ὁ Ἰησοῦς ἔθρεψε, καὶ ἔμειναν (v. ἔμεινεν nam incerta est lectio) ἐπὶ τὸ πέρα (sic) μέρος τὴν θαλάσσης, εἰσῆλθον εἰς τὰ πλοιάρια, καὶ ἦλθον εὑρεῖν Ἰησοῦν εἰς Καπερνοὺμ· λέγει αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς.
- 26. ζητεῖτέ με οὐχ ὅτι διὰ (sic) τὴν ἀλήθειαν ἣν διδάσκω ὑμῖν, ἀλλ' ὅτι ἐφάγετε ἐκ τῶν ἄρτων καὶ ἐχορτάσθητε

V. 30. τί ἐργάζεις.
- 32. ἀλλὰ παρὰ τοῦ πατρός μου δέδοται ὑμῖν ὁ ἄρτος ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ὁ ἀληθινός.
- 38. ἐκβάλλω.
- 39. τοῦ πέμψαντος με πατρός.
ἐν τῇ αἰωνίῳ ζωῇ.
- 42. post. versum + μήπως καθότι κατοίκησεν παρὰ τῶν Ἑλλήνων, ἔρχεται ὁμιλεῖν πρὸς ἡμᾶς οὕτως· τί κοινόν ἐςι, ἅπερ (in apographo ὅπερ) ἐδιδάχθη παρὰ τοῖς Αἰγυπτίοις, καὶ ἅπερ οἵ πατέρες ἡμῶν ἐδίδαξαν ἡμᾶς.
- 43. Ἀπεκρίθη οὖν ὁ Ἰησοῦς.
- 44. ἀναςήσω αὐτὸν ἐν τῇ αἰωνίῳ ζωῇ.
- 51. = εἰς τα αἰώνια.
- 54. = καὶ ἐγὼ ἀναςήσω ..... ἡμέρᾳ.
- 58. ὁ ἀληθὴς ἄρτος.
οἱ πατέρες ὑμῶν + τὸ μάννα.
- 62. deest.
- 63. τὰ ῥήματα μόνα.
- 64. = verba: ἤδει γὰρ ἐξ ἀρχῆς ὁ Ἰησοῦς..... παραδώσων αὐτόν.
- 69. ὅτι σὺ εἶ ὁ Χριςὸς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος.
- 70 et 71. post ἐξελεξάμην. + καθὼς ἐνετάχθη μοι, ὁπόταν ἐδέχθην τὴν ἐξουσίαν ἄνωθεν, τοῦ διδάσκειν ἐν πατρὶ καὶ ἁγίῳ πνεύματι, καὶ δώσω ὑμῖν μετὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος τὴν δύναμιν, ἣν ἔλαβον παρὰ τοῦ πατρὸς καὶ παρὰ τοῦ πνεύματος ἐν τῷ ναῷ, ὅπου διατηρεῖται ὁ ἄρτος τῆς αἰωνίω σοφίας.

Cap. VII.

- 1. loco μετὰ ταῦτα habet codex καιρὸν τινά.
- 2. ἦν γάρ.
- 8. = ἐγὼ usque ad ταύτην.
- 16. post μὴ μεμαθηκὼς + εἰ μὴ τὰ γράμματα τῶν ἑλλήνων.
- 19. post τὸν νόμον + ἔρχομαι οὖν ἵνα ἐπιςρέψω ὑμᾶς εἰς τὸν κόσμον.
- 21. 22. θαυμάζετε. Διὰ τοῦτο Μωσῆς. sic quoque interpungunt haud ita pauci P. P. ap. Griesbachium et Matthæium.
- 31. μήτι πλείονα ποιήσει; omittit σημεῖα τούτων.

V. 35. *μὴ πάλιν εἰς τοὺς Ἑλλήνας.*
= *καὶ διδάσκειν τοὺς Ἕλληνας.*
- 39. *ὅτι ἡ ὥρα τῆς ἐνδοξάσεως τοῦ Ἰησοῦ οὐκ ἐλήλυθεν ἔτι.*
- 53. *ὁ δὲ Ἰησοῦς .... τῶν ἐλαιῶν* referuntur ad hocce caput.

Cap. VIII.

- 3. *ἐπὶ μοιχείᾳ.*
- 4. *ταύτην εὕρομεν ἐπ' αὐτοφώρῳ μοιχευομένην.*
- 5. *ἐν δὲ τῷ νόμῳ ἡμῶν Μωσῆς.*
κατηγορίαν κατ' αὐτοῦ.
- 6. *ἔγραψεν εἰς τὴν γῆν + μὴ προσποιούμενος.*
- 9. = *ἐν μέσῳ ἑστῶσα.*
- 10. = *ἡ γυνή.*
- 11. *καὶ ἀπὸ τοῦ νῦν μ. α.*
- 26. *παρ' ὑμῖν λαλεῖν.*
- 28. = *σε .... τότε ἐν ὀλίγῳ γνώσεσθε ὅς ἐγώ εἰμι, καὶ ἀπὶ ἐμαυτοῦ οὐ ποιῶ οὐδέν.*
- 31. = *αὐτῷ.*
μένητε.
- 36. *οὕτως ἐλεύθεροι.*
- 39. l. *ἐστὲ* habet *ἦτε.*
- 40. *ὅς ἐγὼ ἀλήθειαν.*
- 44. deest totus.
- 48. = *Σαμαρείτης εἶ σὺ καί.*
- 50. *ἔστιν ὁ ζῶν καὶ κρίνων.*
- 52. *τὸν λόγον τὸν ἐμόν.*
θάνατον οὐ μη θεωρήσῃ.
- 54. = *καὶ οὐκ ἐγνώκατε .... οἶδα αὐτόν.*
- 58. = *ἐγώ ἤμην πρὸ Ἀβραάμ.*
- 59. post *τοῦ ἱεροῦ* + *διελθὼν διὰ μέσου αὐτῶν καὶ παρῆγεν οὕτως.*

Cap. IX.

- 1. = *καὶ παράγων.*
- 7. = *ὃ ἑρμηνεύεται ἀπεσταλμένος.*
- 8. *ὅτι τυφλὸς ἦν,* deest *ἔλεγον* haud dubie ex incuria librarii.
- 11. *ὕπαγε εἰς τὴν κολυμβήθραν τοῦ Σιλωάμ.*
- 13. *εἰς τοὺς Φαρισαίους.*

V. 14. ὅτε τὸν πηλὸν ἐπέθηκεν.
a versu 22 ad finem capitis codex vix legi potest; sed cum lectionibus a Griesbachio receptis consentire videtur in apographo. Duæ tantummodo lectiones variantes observantur v. 28. Ἐλοιδόρησαν οὖν et v. 39 post ὁ Ἰησοῦς + αὐτῷ.

Cap. X.

– 1. Init. ὁ Ἰησοῦς συναπαντήσας πάλιν τοὺς Φαρισαίους, οὗτοι ἔλεγον αὐτῷ· πῶς ἀπεςάλης παρὰ τοῦ Θεοῦ; ἀπεκρίθη αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς· ἀμὴν &c.
– 6. = ἦν δέ.
– 8. = πρὸ ἐμοῦ.
= καὶ ἐξελεύσεται.
–26. 27. ponit punctum post ὑμῖν et ante τὰ πρόβατα.

Cap. XI.

– 1. ἐκ Βηθανίας.
τῆς ἀδελφῆς αὐτοῦ.
– 8. = ἀπεκρίθη.
– 13–16. desunt omnino.
– 23. ὁ αδελφός σου ὕπνωται· εἶπον ἅπαντες· ἀπέθανε· ἀπεκρίθη ὁ Ἰησοῦς· εἰ μέντοι ἀπέθανε, ἀναςήσεται.
– 24. = ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρα.
– 41. + οὗ ἦν ὁ τεθνηκὼς κείμενος.
– 44. καί εὐθὺς ὁ τεθνηκὼς ἐσάλευσε.
– 45. Μαρίαν + καὶ Μάρθαν.
ἃ ἐποίησεν + ὁ Ἰησοῦς.

Cap. XII.

– 1. ὅπου ἀνέςησε Λάζαρον ἐκ τοῦ τάφου.
– 9. = ὃν ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν.
–14–16. desunt.
– 17. ἐμαρτύρησαν οὖν οἱ ὄντες μετ᾽ αὐτοῦ, ὅτι τὸν Λάζαρον ἤγειρεν ἐκ τῶν νεκρῶν.
– 18. ὅτι ἤκουσαν αὐτὸν πεποιηκέναι ἓν σημεῖον.
– 30. ἡ βροντὴ γέγονεν.
– 31. = τοῦτον.
– 33. deest.
– 35. μεθ᾽ ὑμῶν ἐςι.

V. 47. οὐκ ἀκούσῃ.
- 50. = καὶ οἶδα, ὅτι ἡ . . . . . αἰώνιός ἐστιν.

Cap. XIII.

- 3. εἰδὼς δὲ.
= ὁ πατήρ.
- 6–11. = omnino.
- 18. deest.
- 23. = ἐκ.
- 26. βάψω τὸ ψωμίον καὶ ἐπιδώσω.
δέδωκε Ἰούδᾳ.
- 27. deest. καὶ λαβὼν τὸ ψωμίον ὁ Ἰούδας, λέγει αὐτῷ ὁ Ἰ.
- 30. λαβὼν δὲ τὸ ψωμίον, εὐθέως.
- 31. ὅτε Ἰούδας ἐξῆλθε.
Cap. XIV. incipit XIII. 31.
- 35. + καὶ ὑπέστρεψεν Ἰούδας ὅπου ἦν ὁ Ἰησοῦς. Ἰησοῦς δὲ ἀκολουθῶν λέγει· μὴ ταρασσέσθω &c. Cap. XIV. 1.
- 36–38. desunt.

Cap. XIV.

- 12. καὶ ὅ, τι ἂν αἰτήσητε τῷ πατρί μου.
- 17. καὶ ἐν ὑμῖν ἐν ὀλίγῳ ἔσται.
- 18. = ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς.
- 21. ἀγαπήσεται.
- 23. ἐλεύσομαι. et ποιήσομαι.
- 26. ὃ πέμψει ὁ πατὴρ δι' ἐμοῦ.
- 28. Ἐχάρητε ἂν ὅτι εἶπον· πορεύομαι.
- 31. post ἐντεῦθεν + καὶ ἐξῆλθον.

Cap. XV.

- 1. Περιπατήσαντες οὖν καιρόν τινα, στρέψας πρὸς τοὺς μαθήτας αὐτοῦ ὁ Ἰησοῦς, λέγει αὐτοῖς· ἀκούσατε ἃ λέγω ὑμῖν· ἐγώ εἰμι ἡ ἄμπελος &c.
- 9. κἀγὼ ἀγαπήσω.
- 15. ὑμᾶς δὲ λέγω φίλους.
in fine + καὶ δώσω ὑμῖν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ὃ ἐστι τὸ πνεῦμα μου ὡσεὶ τὸ πνεῦμα τοῦ πατρός μου.
- 26. sic habet: ὅταν δὲ ὁ παράκλητος, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ὃς παρὰ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ ἐξέρχεται, καὶ

ὅνπερ δώσω ὑμῖν παρὰ τοῦ πατρός μου, ἔλθῃ ἐν ὑμῖν, οὗτος μαρτυρήσεται περὶ ἐμοῦ.

V. 27. ad finem + τότε ὁ Ἰησοῦς ἔπεσεν εἰς μεγάλην λύπην.

CAP. XVI.

- 1. Init. ἐλθὼν δὲ ὁ Ἰησοῦς εἰς ἑαυτὸν, λέγει ταῦτα &c.
- 2. = ἀλλ᾽.
- 3. ποιήσουσιν ὑμῖν.
- 7. Sic habet: Ἐὰν γὰρ ἐγὼ μὴ ἀπέρχομαι, ὁ παράκλητος οὐκ ἔλθῃ παντελῶς εἰς ὑμᾶς. ἀλλ᾽ ἐλεύσεται ἐν ὑμῖν, ἐπειδὴ ἐγώ ὑπάγω.
- 11. καὶ περὶ κρίσεως.
- 12. εἶχον.
- 13. ὅταν δεχθῆτε τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ὅπερ ἐςι τὸ πνεῦμά μου, ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν.
- 15. ἐμά ἐςι, καὶ πᾶν ὃ ἔχω τῷ πνεύματι ἐςι.
- 19. ἔγνω οὖν.
- 25. = ἀλλὰ παῤῥησία .... ἀναγγελεῖ ὑμῖν.
- 33. ἵνα ἐν ὑμῖν.

CAP. XVII.

- 3. αὕτη δὲ ἡ ζωὴ συνίςαται τοῦ ζῆν ἐν σοὶ, ἐν τῷ υἱῷ σου καὶ ἐν τῷ πνεύματι, παρ᾽ οὗ γνωρίζομεν, καὶ ἐγνωρίθημεν.
- 5. ἣν εἶχον αἰωνίως παρά σου.
- 12. = ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ.
- 13. Νῦν δὲ παρά σε ἔρχομαι.
- 26. ad calcem versus additamentum; ὑψώσας δὲ τὰς χεῖρας, εἶπεν ὁ Ἰησοῦς εἰς τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ. Ἰδοὺ ὅτι ἡ ὥρα ἦλθε τοῦ πιεῖν τὸ ποτήριον ὃ δέδωκέ μοι ὁ πατὴρ πιεῖν· ἀπέρχομαι πρὸς τὸν πατέρα τὸν πέμψαντά με — καὶ λέγω ὑμῖν πάλιν, πέμπω ὑμᾶς, τηρεῖτε τὰς ἐντολάς μου — διδάξατε ὃ ἐδίδαξα ὑμᾶς, ἵνα ὁ κόσμος γνώσῃ αὐτό. Διὰ τοῦτο λάβετε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, καὶ ἂν τινων ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας, ἀφίενται αὐτοῖς, ἂν τινων κρατῆτε, κεκράτηνται. (Joh. XX. 23). Ἠκούσατε ἃ εἶπον ὑμῖν, οὐκ εἰμὶ ἐκ τοῦ κόσμου τούτου, ὁ Παράκλητος ἐςιν ἐν ὑμῖν, διδάξατε ἐν τῷ παρακλήτῳ — Καθὼς ὁ πατήρ μου ἀπέςειλέ με, οὕτως ἀποςέλλω ὑμᾶς (Joh. XX. 21) ἀπέςαλκέ et πέμ-

πω. — Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, οὐκ εἰμὶ ἐκ τοῦ κόσμου
του. Ἀλλ' Ἰωάννης ἔσεται ὁ πατὴρ ὑμῶν, ἕως
ἔλθη μετ' ἐμοῦ ἐν τῷ παραδείσῳ. Καὶ ἔχρισε α
ἐν τῷ ἁγίῳ πνεύματι.

Cap. XVIII.

V. 1. τῶν κεδρῶν.
- 2. + Ἰούδας εἰδὼς αὐτὸν ἐν τῷ τόπῳ ἐκείνῳ, sic h
ἀπῆλθε πάλιν, καὶ λαβὼν μετ' αὐτοῦ τὴν σπεῖραν
ἐκ τῶν ἀρχιερέων &c.
- 3. ἐπανέρχεται.
- 8. ἄφετε αὐτούς.
- 10 et 11. desunt.
- 12. καὶ ὑπήγαγον.
- 16. τῷ θυρωρῷ.
- 17. καὶ σὺ = μή.
- 20. ὅπου πάντοτε οἱ Ἰουδαῖοι.
- 26. = συγγενὴς ὢν οὗ ἀπέκοψε Πέτρος τὸ ὠτίον.
- 32. deest.
- 37. σὺ λέγεις ἀφ' ἑαυτοῦ.

Cap. XIX.

- 1. ab initio. Ὁ δὲ Πιλάτος ἀκούσας ὃ ἐζήτουν οἱ
δαῖοι, φοβηθεὶς, ἔλαβεν τὸν Ἰησοῦν.
- 4. ἐξῆλθεν οὖν.
- 16. καὶ ἀπήγαγον.
- 24. = ἵνα ἡ γραφὴ .... κλῆρον.
- 26. λέγει τῇ μητρὶ αὐτοῦ· οὐ κλαίεις, (sic) ἐπιστρέψω
τὸν πατέρα μου, καὶ εἰς ζωὴν αἰώνιον. Ἰδοὺ ὁ
σου, οὗτος τηρήσει τόπον ἐμόν· εἶτα κύψας τὴν κ
λὴν, παρέδωκεν τὸ πνεῦμα.
- 28-30. desunt.
- 35-37. desunt.
- 38. a verbis καὶ ἐπέτρεψεν ὁ Πιλάτος deest.
Versui 42. subjungitur clausula:
Ἰωάννης ὁ μαθητής, ὃν ἠγάπα ὁ Ἰησοῦς, μαρτυρεῖ
τῆς ἀληθείας τούτου τοῦ γράμματος, ὅπως ὑμεῖς πι
σητε καὶ διδάξητε.

Münter, Friedrich, 1761-1830.
Notitia codicis græci evangelium Johannis variatum continentis


UNIVERSITY OF CHICAGO
43 812 135

